



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod à conceptu meruit sibi idem quod per passionem. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

bilis facta est, & caro immortalis. Verum a. anima sic facta impassibilis, quando caro facta est immortalis, sc. ipso resurrectionis momento, de auctoritate nobis certum non est. Sed vel mox post carnis separationem anima impassibilitate donata est, aut in resurrectione, quando caro reffloruit.

Quod à conceptu meruit sibi Christus hoc quod per passionem.

Nec solum hoc meruit Christus, quando patri obediens crucē subiit: sed etiā ab ipsa conceptione ex qua homo factus est, per charitatem & iustitiā, & alias virtutes, in quarū plenitudine fuit secundum hominem conditus, sibi tantū meruit, quantum post per martyrii tolerantiam. Tanta n. plenitudo spiritualium charismatum in eo fuit, quā in eis proficere nō potuit: & ideo melior ipsius anima fieri non potuit, quā ab initio suę cōditionis extitit, quia proficere in meritis non valuit. Unde Gregor. ait. Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritū, quo potuisset proficere: in membris a. quæ nos sumus; quotidie proficit. Non ergo plus meruit sibi per crucis patibulum, quā à conceptione meruit per gratiam virtutum. Non ergo profecit secundum animæ meritum, quantum ad virtutē meriti: profecit tamen, quantum ad numerū meritorum. Plura n. habuit merita in passione, quam in conceptione: sed maioris virtutis non exiterunt in merendo plura, quā ante fuerant pauciora. Meruit ergo à conceptione non modo gloriam impassibilitatis & immortalitatis corporis, sed etiā impassibilitatem animæ. Per quid? Per obedientiam & voluntatem perfectam, quæ non tunc primo habuit, nec maiorem cum pari cœpit & mori, obediens n. perfectus, & bonus extitit secundum hominem, ex quo fuit homo. Habuit ergo anima illa aliquod bonum in se post mortē, quod nō habuit ante. Num ergo beator vel melior fuit quam

Greg. hom. 6. sup̄r. 27. e. sibi etiam exponens illud. Exod. 23. Facies thy candelabrū desce. sibi.

Ad Phil. 2. 6

quam ante? Absit, quod melior fuerit: quia nec sanctior, nec gratia cumulator. Nec etiam beator fuit in Dei contemplatione, in quo precipue beatitudo consistit. Potest tamen dici in hoc beator fuisse, quia ab omni miseria immunis. Ex quo nequit inferri simpliciter, quod beator fuerit.

De eo quod scriptum est, Donauit illi nomen, quod est super omne nomen.

Nec tantum gloriam impassibilitatis & immortalitatis meruit, sed etiam donari sibi nomē, quod est super omne nomen sc. honorificentiam, quod vocatur Deus: hoc tamen nomē ante mortem habuit. Habuit n. hoc nomen Dei filius, in quantum Deus est, ab eterno per naturam: in quantum vero homo factus est habuit ex tempore, per gratiā. Veruntamen Aug. dicit nemini donatū esse illud nomen, non Deo quia illud nomen habuit cū in forma Dei: tantū erat: Sed cum dicitur, Propter quod illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomē: satis apparet propter quid exaltauerit, i. ppter obedientiā, & in qua forma exaltatus sit. In qua n. forma crucifixus est, in ea exaltatus est, & in eadem donatū est ei nomen, vt cum ipsa forma serui nominetur vnigenitus filius Dei, intelligatur hoc illi donatum est vt homini, quod iam habebat idem ipse Deus. Hoc ergo per gratiā accepit, vt ipse ens homo vel subsistens in forma serui, i. in anima & carne, nominetur & sit Deus. Sed nunquid hoc tunc meruit? supra enim dictum est, quia hoc tantum bonum homo ille non meruit. Quomodo ergo hic dicitur, Propter obedientiam donatum est ei hoc nomen? Secundū, tropum illum in scriptura creberrimum hoc capiendum est, quo dicitur res fieri, quando innotescit. Post resurrectionem vero, quod ante erat in euidenti positum est, vt scirent homines & dæmones. Manifestationem ergo illius nominis donauit ei

P p 2

Deus

*Aug. li. 2. ca.
5. in fin. contra
Maximū
tom. 6.*

*Glo. ordin.
ad illud ad
Phil. 2. Et do
nauit illi
nomen.*

Matth. 28.